

mam, caudam, aut barbam Cometæ videre judicamus, emanarent. Facile est ostendere, hanc conjecturam optime quadrare cum omnibus particularibus phænomenis Cometarum, quæ identidem attigimus, sive respectu inæqualitatis apparitionis illorum, eorum motus, durationis & magnitudinis apparentis; Sive ratione diversitatis in radiis eorum comitibus occurrentis. Cum verò hæc omnia ad amussim exarata sint à Philosopho nostro, malumus Lectorem remittere ad ejus Principiorum *Philosophiæ Partem III.* & ad hujus dissertationis finem maxime intentum, videlicet syderum influentias descendere, atque excutere an Cometarum apparitiones funestum quid mortalibus portendant.

XIV. In confessio est apud omnes Philosophos, Astra omnia, saltim nobis conspicua, aliquos in terris effectus producere, & ad minimum quatenus vim habent commovendi exigua filamenta nervorum optidorum. Nam sine hac commotione videri nunquam possent. Solem pariter ad productionem rerum naturalium concurrere, imo infinitorum propemodum effectuum in terra apparentium primariam esse causam, nequaquam in dubium vocari potest. Si plantæ crescant, si triticum flavescat; si fructus omnimodam adipiscantur maturitatem, id totum lumini, aut ut verius dicam, calori solis adscribendum. Atque ut Solis lumen solum incomparabiliter majus est lumine cæterorum omnium astrorum simul junctorum, ad Solem, tanquam præcipuam eorum effectuum causam, respiciendum est, nec quicquam aut omnino parum ad eos producendos conferre potest Planetarum Cometarumve debile & emendicatum lumen. **Q**uantum abest, ut steriles agros & inania